

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Disputatio De Restituendis Duobus Versibus Jos. XXI. In
Quibusdam Codicibus Hebraeis Omissis**

**Abicht, Johann Georg
Flachs, Sigismund Andreas**

Lipsiae, 1714

VD18 11446064

§. XIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-130552](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130552)

Punctator exornatum scimus, cuius vero textus vocalibus longe est vetustior, quod docet laudatus Michaelis in Dissert. de Codicibus MSS. Halæ Anno 1706. habita. Ostendit enim ibi veræ vetustatis criteria a Clar. Jablonski in præfat. Biblior. Berolinens. §. 37. data in hoc Codice apparere. 1] Scripturam esse elegantem sine artificio, & prisca simplicitate venerabilem. 2] parciolem usum esse literarum majuscularum, & minuscularum, inverfarum &c. 3] rarius esse Keri & Cethib, quam in Vulgatis nostris Codicibus. Eisdem versus, iisdemque verbis scriptos affert porro MSS. Codex, quem Cl. Michaelis secundum nominat. Licet quidem de ejus antiquitate in ipso Codice hæctenus nihil sit observatum, fata tamen docent, quod ad minimum ante Annum 1346. punctis fuerit instructus; Quot vero annos scriptura punctationem superet, certo definire non licet. Hæc doctiss. Michaël. in allegata Disp. §. IX. In annotatione ad Biblia Hebraica, quæ adhuc sub prelo sudant. Observat idem Clariss. Vir, punctatorem Codicis hujus nostris duobus versibus nulla puncta subjecisse, sed in margine indicasse, illos ad Paralipomena pertinere. Ex qua observatione colligimus, scribam literarum hos versus ex Codice non punctato descripsisse, sed punctatorem aliud quid ex Kimchio edoctum, eosdem prætermisisse.

§. XIII.

Missis Codicibus MSS. ad impressos progredimur, & primo loco producimus Biblia Complutensia, quæ Card. Ximenii cura & sumptibus, Anno 1517. prodierunt. In his, uti & in illis, quæ in officina Commeliniana Anno 1616. vel potius 1586, cum Annotationibus Vatabli, vel rectius Roberti Stephani, ut plurimi censent, ad Editionem Complutensem sunt excusa, nostri versus, quoad verba cum iisdem concordant Codicibus, quos hæctenus vidimus. Et quoniam, tradente Gomesio in vita Ximenii, pro VII. hebræis exemplaribus MSS. ex diversis regionibus conquistis quatuor millia aureorum erogata sunt, nemo dubitat, illa Biblia

D

ad

ad fidem optimorum codicum esse excusa. Accedit, quod tanta fuerit Editoribus Fontium autoritas, ut in locis innumeris ex Hebr. Græcisque fontibus Versionem Vulgatam immutaverint, quod docet Mariana pro edit. Vulgata cap. 24. Cum his amice conspirant Biblia Polyglotta *Antverpiensia*, *Parisiensia*, ut & *Anglicana*, quæ omnia evoluta & collata in hebræo textu recte consentire vidimus.

§. XIV.

Præterea in Bibliis Rabbiniis, opera Felicis Pratenfis apud Bombergium Anno 1517. mensè Novembri Venetiis in fol. excusis nostri versus iisdem verbis leguntur, uti in Codicibus MSSis extant. Felix Pratenfis, ex Judæo Christianus factus, omnem adhibuit operam, ut ista Biblia correcte secundum MSSa in lucem emitterentur. Hinc, quod ex annotatione in Paralipom. haud obscure discimus, alios quoque Judæos in auxilium vocavit. In margine quandoque apponuntur lectiones a textu variantes, quæ in Bibliis aliis non reperiuntur. Ex multis unam tantum proferamus, quam Prov. XII. vultimo in Codicibus Masoreticis hunc in modum legimus:

בֵּית חַיִּים צְדָקָה וְיִרְאָה

בֵּית חַיִּים צְדָקָה וְיִרְאָה

*In via justitiæ
est vita. Et via se-
mitæ non mors.*

Sed in nostro Codice loco אֵל non, legitur in margine אֵל ad, hoc sensu:

In via justitiæ est vita,

Sed via semitæ est ad mortem.

quam lectionem antiquissimi Interpretes approbant; LXX. verterunt: εἰς θάνατον, Chald. transtulit לְמוֹתָא *ad mortem*. Vulgatus: *Iter autem drevium ducit ad mortem*. Syrus & Arabs cum LXX. consentiunt. Observandum vero בֵּית חַיִּים a Chaldæo reddi per עֵתָנָא *via perversa*, quod indicio est, vocem eam h. l. accipi in mala parte, uti Prov. I, 15. & VII, 25